

**Dissertatio inauguralis quaedam de typho complectens ... / Eruditorum  
exameni subjicit Joannes M'Morran ... Hibernus.**

**Contributors**

M'Morran, Joannes.  
University of Glasgow.

**Publication/Creation**

Glasgae : In aedibus academicis, excudebat Andreas Foulis, academiae  
typographus, 1784.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/j8zz6cpy>


**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under  
copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made  
available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial  
purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>




DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAEDAM DE

T Y P H O

C O M P L E C T E N S.



Dr. Stevenson

With best compts

from

J. M.



16  
DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAEDAM DE

T Y P H O  
C O M P L E C T E N S.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

*Auctoritate Dignissimi Vice-Cancellarii,*

GULIELMI LEECHMAN, S. S. T. P. P.

ET COLLEGII GLASG. PRAEFECTI;

NEC NON

*Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu;*

*Et Nobilissimae FACULTATIS MEDICAE Decreto;*

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS  
RITE AC LEGITIME CONSEQUENDIS;

I N C O M I T I I S  
U N I V E R S I T A T I S G L A S G U E N S I S,

Eruditorum examini subjicit

JOANNES M<sup>c</sup>MORRAN, CHIR.

H I B E R N U S.

AD DIEM XX. SEPTEMBRIS, HORA PRIMA P. M.

LOCO SOLITO.

G L A S G U A E:

IN AEDIBUS ACADEMICIS,  
EXCUDEBAT ANDREAS FOULIS,  
ACADEMIAE TYPOGRAPHUS.

M.DCC.LXXXIV.



DISSERTATIO IN AURALIS

GUARDAM DE

TYPHUS

COMPTON

IN AURAM

ANNUNTIAT

GUILLIAMS

RECOLLEGI

IN AURAM

IN AURAM

IN AURAM

IN AURAM

IN AURAM

IN AURAM

IN AURAM

IN AURAM

IN AURAM

IN AURAM

JOHANNES

IN AURAM

IN AURAM

IN AURAM

IN AURAM

IN AURAM

IN AURAM

IN AURAM

IN AURAM

VIRO PRAEHONORABILI,  
ROBERTO STEWART,  
DE MOUNTSTEWART,  
IN COMITATU DUNENSI APUD HIBERNOS,  
ARMIGERO,  
DUCI, PRIMO AGMINI  
MILITUM VOLUNTARIORUM DUNENSIS,  
INGENIO SUAVISSIMO,  
MORIBUS ORNATISSIMIS,  
PATRIAE AMANTISSIMO,  
LIBERTATIS VINDICE ACERRIMO,  
DOMINATIONI ET INJURIIS PUBLICIS  
INIMICISSIMO,  
OB HASCE OMNES QUIBUS INSIGNITUS EST  
VIRTUTES,  
HOC PRIMUM IN ARTE SALUTIFERA CONAMEN,  
D. D. Cq.  
AUCTOR.







I T E M,

ERUDITISSIMO INGENIOSISSIMOQUE VIRO,

JOANNI AITKEN, M. D.

NOSOCOMII REG. EDIN. CHIR. UNUS.

E COLL. REG. CHIR.

SOCIET. REG. MED. EDIN. SOCIUS,

NEC NON

SOC. REG. ANTIQ. SCOT. SODALIS,

ANATOMES CHIR. ET ART. OBSTET,

PRAELECTORI,

QUI AD MEDICINAM ATTINENS,

NIHIL NON CONATUR, NIHIL NON ITA,

UT SUIS PLACEAT, EXEQUITUR,

OB MULTA IN SE COLLATA BENEFICIA,

ET PRAECLARA IN STUDIIS JUVANDIS MONITA

HANCCE DISSERTATIONEM

SACRAM ESSE VULT

A U C T O R.

CORRIGENDA.

Pag. 11. lin. 15. *leg.* pyrexiae.

12.—11. *leg.* inhabiles.

35.—7. *leg.* convulsionem.

55.—19. *leg.* diarrhoea.

57.—10. *leg.* ex eorum.



# DISSERTATIO INAUGURALIS,

QUAEDAM DE

# T Y P H O

# C O M P L E C T E N S.

## P R A E F A T I O.

**A**NTE immortalem Harveium, qui inventum sanguinis circuitum descripsit, medicorum de sua arte contemplationes perangustis limitibus continebantur. Existimabatur tanquam solis fere in medicamentis internis versari. Contenti priorum auctoritatibus, utilem cognitionis partem a qua salus humana pendet, excolere parum laborabant. Quin et rationis communis, sine qua nihil excellens, nihil magni momenti, vel in medicina, vel in aliis artibus, apprehenditur, usu sibi interdicere. Quamvis



autem interna auxilia maximam curationum partem esse sunt fatenda; in pluribus tamen casibus aliis quoque opus est. Quae res demum manifesta est, manifestior futura, nisi angustioribus justo finibus nostrum corporum animatorum iudicium cohiberetur. Sic justo plus humoribus, justo minus firmis tribuere, tam praesens, quam antiquus, error consuevit. Quorum utraque, licet multum inter se consociantur; et mutuis nexibus conjungantur tamen sibi quoque multa propria habent, morboque adfecta altera altero modo tractanda sunt.

Quasi humores morbo implicarentur, quem iis remedia quaedam admota tollerent; multa medici remedia magnis extulere laudibus, interque haec sub splendido antisepticorum seu antizeumicorum titulo quaedam commendata sunt et commendantur. Quorum tamen virtus minime in humoribus corrigendis posita est, sed manifesto in tono vivis



firmis impertiendo hisque stimulandis omnis versatur.\*

In disputatione de typho, morbo tam frequente, quam periculi pleno, differendum putavi. Hunc morbum nonnulli, ii, scilicet, quibus morbis nullus distinctionum finis est, in tria genera diduxerunt; scilicet, febrem eandem nervosam lentam partium convulsionibus et tendinum subsultu comitantibus; et putridam ubi petechiae et aliae putredinis notae suboriuntur.

Gilchristius medicus illust. qui nuper vixit, primum videtur febrem nervosam pro distincto genere descripsisse. Verum quaecunque dicta, quaecunque scripta de istiusmodi; distinctionibus, sunt, eae, neque notari, neque describi, possunt, ut vera discrimina constituent. Quae quidem prudentissimi cujusque medici sententia est. Etiam si hae distinctiones, quae nullam veram differentiam

\* Websteri Prael. de Chem. et Mat. Med.



submonstrant, constitui et demonstrari possent, ad nullam in medendi usu varietatem ducerent. Eundem morbum esse; eadem debilitatis causa, eum continens, idem in omnibus casibus humorum excretorum putredinis periculum et ad hanc proclivitas, et idem praecipue stercoreis malus odor, evincerunt.

Humorum communium summa, quae nonnullis placuit, putredo neque probatur adhuc est, nec probari prope videtur: id quod doctus Milmanus in libro de scorbuto nuper scripto demonstravit; et ne temporis quidem punctum talem humorum putredinem cum vita consistere, convicit.

Quamvis autem in vasis excernentibus putredo versari non inficias eundem est; non ideo in vivis corporis actionibus eandem fieri sequitur. Nam materies vasis excernentibus excreta nulla vivi corporis pars est; vitaeque principium, quibuscunque partibus adhaeret, fortiter putridini, resistit; ut in



abscessuum pure et aneurismorum sanguine nunquam prius putrescentibus, quam a corpore vivo segregentur \* adparet.

His expositis, ad morbum strictius describendum, et ante omnia historiam ejus con- terendam, quanta maxima fieri potest bre- vitate, cui ubique hujus operis ita inservire, ut obscuritatem tamen devitem, conabor, adgrediendum est.

### HISTORIA TYPHI.

Frequentissimus apud Hibernos, et, ni fal- lor, in Britannia, morbus in usu medendi medicis occurrit.

Adeo leniter incipere solet, ut aliquando quinque, sex, septem, vel etiam plures dies prius elabantur, quam petendi lecti necessitas sit. Prima symptomata, languor quasi las- situdo, et omnium actionum imbecillitas, sunt. Degravatur animus, mens multum

\* Webster. prael. relat.



omnibus suis facultatibus laborat. Genus nervosum multum, et ita ut in hysteria, irritatur, mentis adfectus propediem ad confusionem provehitur.

Actiones naturales patiuntur, cibus fastiditur, aliquando leniter nauseatur; quae alias ad bilis aliquanti per vomitum rejectionem intenditur. Quo facto pro tempore levamen sequitur, brevi autem, symptomata cum summa saevitia redintegrantur; jamque stupor, jam capitis quasi circumacti; vertigo, et calor, qui ante fuit, crescunt. Jam spirandi difficultas supervenit; capitisque dolor, cum vigilio, magno labore, obtusior evadit. Haec saepe septem aut plures dies sic, ut dictum, procedant. Post quos omnia paulatim pejora fiunt. Quo facto, non tamen multum calor crescit, pulsus non multum mutantur; humescit lingua, non fititur, urina parum mutatur: cutis non multum adficitur; cujus interdum quasi naturalis status est; aliis



universa relaxatur, et undique sudor diffluit; qui raro, paulo diuturnior est, et nullum levamen adfert: post sudorem cutis exsiccatur, arefcit, quod in febribus fere perpetuum est. Paulatim lingua et labia eandem siccitatem experiuntur.

Jam ex toto supprimitur saliva, hinc, quae tantum molestiae faceffunt, nigrae linguam et dentes crustae cooperiunt. Hoc tempore fitis, quae ante modica fuit, intolerabilis demum evadit, nec ullo potionis genere movenda; deinde morbus improvise in pejus mutatur.

Jam mite delirium supervenit; quod a turbulento illo, quo pyrexia inflammatoriae insigniuntur, plerumque facile dignoscitur; nam saepe tantummodo stupor cum torvo silentio, vel aliqua quam nemo intelligit, miffitatione, est! Hoc saepe sine pejore ullo symptomate per dies permanet. Est tamen ubi, in insignem furorem aequae ac in phre-



nitide, indomitum, erumpit. Aliis alvus solvitur, quae raro prodest, semper fere periculo est. Eadem alias ita constringitur, ut ad aperiendum opus medicina sit, quod rarius credito verum est.

Mane omnia symptomata levare, vespere exasperari, solent. Jam capitis intensior dolor est, pulsus celerius feruntur, in somnum sine levamine proclivitas est. Jam tanta toto corpore debilitas fit, ut vasorum fibrae, ad sanguinem retinendum inhabilis, cum extremis effluere finibus finant. Magna morbi finis formido aegrotantem invadit.

Defectiones animi interdum incidunt, frigidus sudor, caput et extrema humectantur; capitis jam dolor cruciat tinniunt aures.

Jam maculae purpureae praecipue pectus, tergum, brachia, et crura, discriminant, quae quandoque livescantis prope coloris sunt.

Maculae adeo densae ut interposita iis spatia, nisi diligenter inspecta, parum discer-



nantur. Haec symptomata nunc non multum post morbi principio, nunc non ante xiv. vel xv. morbi diem prodeunt.

Hoc provecto morbi tempore, symptomata saevientia summam monstrant debilitatem, eoque par periculum denunciant.

Linguae nervi resoluti, vocem nihil significantem praebent. Extrema frigent, ungues livent, auditus prope totus perit. Jam in coma vertitur delirium. Pulsus adeo citi, adeo debiles et tenues sunt, ut vix numerabiles sint. Qui quando tardantur, saepe etiam intermittuntur. Subsiliunt tendines. Tam urina quam dejectiones alvo, sine conscia mente, redduntur, oculi immobiles quasi pelliculo obducuntur.

Lachrymae per genas diffluunt. Praeterque petechias passim jam in corpore adparentes, naribus, gingivis, ulceribus veteribus sanguis effluit. Omnis excrementosae materiae jam faedus in primus odor est. Postre-



mo partium convulsiones dirum malorum agmen claudunt.

Hujus morbi longitudo variat, modo xx. dies vel totum mensem perstantis, modo multo citius desinentis. Est ubi xl. amplius dies permanet. Qui tamen quoties exitialis est, multo citius terminatur.

Ubi summa morbi diuturnitas fuit, mentis aliquot post menses et quoad solitae vires redierint, imbecillitas esse solet. Hoc tam in aliis casibus, quam in patri meo, vidi, is aliquot post typhum menses maxime familiares amicos, nisi postquam aliquamdiu cum iis una fuit, et saepe etiam suos famulos pravam novit. Cui res similia multa memoriae medici prodiderunt.

#### T Y P H I D E F I N I T I O.

Alii nosologi aliter typhum definiverunt. Sic Sauvagesius “Typhus,” inquit, “Febris “continuae genus est, quae plerumque ultra



“ tres septimanas durat, cum calore jam  
“ magno, jam nullo, urina et pulsu sanorum  
“ similibus, artuum summa debilitate; pul-  
“ sus quandoque rarior est, quam pulsus sa-  
“ nus, color cutis palidus, squalidus, exan-  
“ themata varia huic morbo superveniunt”\*.

Idem alibi “ Typhus,” ait, “ Decursus ultra  
“ duas septimanas, saepius tres, cum calore  
“ et urina sanorum similibus, pulsuque quoad  
“ frequentiam sano fere simili, et quoad ro-  
“ bur non majori, artubus interea maxime  
“ prostratis.” †

Quae definitiones cum illustris mei prae-  
ceptoris Cullenii definitione comparatae, mul-  
to deteriores videantur necesse est. Accipe  
ipsius verba, “ Typhus est morbus contagi-  
“ osus,” ubi “ calor parum auctus” est  
“ pulsus parvus, debiles plerumque frequens,  
“ urina parum mutata, sensorii functiones  
“ plurimum turbatae, vires multum immi-  
“ nutae.”

\* Epigenomena.

† Sauvages Nosol.



## D I A G N O S I S.

Diagnosıs aliquando difficilis est, maxime-  
que a synocha typhum destinguendo. Qui  
scrupulus, perpenfis, utriusque morbi historia  
et definitione, tollendus est.

Synocha validis et robustis habitibus, et  
ad diathesin phlogisticam oppurtunis, accidit,  
et regiones frigidas prae caeteris visit. Cui  
contrarius his notis typhus est; imbecillis  
habitibus, et ad aſthenicam diathesin pronis,  
usu veniens. In eodem pulsus parvi debi-  
lesque, et urina parum mutatur; cum in sy-  
nocha urina rubeat, calor multo major, pul-  
sus duri, pleni, et validi sunt, sanguisque  
missus, et sub divo refrigeratus crustam in-  
flamatoriam habet. Eadem synocha raro  
ultra vii. vel viii. diem permanet, raro sine  
catarrhali aut locali morbo incipit.

Hic quoque quam in typho major sitis esse  
solet. Quae discrimina ut opinor, ad hos



inter se morbos distinguendos plerumque  
fatis erunt.

Cum tamen, quod fieri potest, fynocha in  
typhum degenerat, tum summa adjudican-  
dum quando ille desinat, hic incipiat, peri-  
tia opus est. Si fynocha ultra x. xi. vel xii.  
dies permanet, plerumque typus typhoides  
metuendus est. Quod si etiam ab initio mens  
confusa fuit, et magna debilitas subest, et  
excrementa ad putredinem proclivia sunt;  
manifestus typhus morbus judicandus est.

#### C A U S A E R E M O T A E.

Cum causae remotae numerosae variaeque  
sint, eoque omnes comprehendere ultra soli-  
tos hujusmodi chartarum fines duceret; prae-  
cipuas earum exposuisse fatis habebo.

Praecipuae sunt inquieta cogitatio, ardens  
studium, animi adfectus injuncundi, ut me-  
tus, et similes, magna humorum jactura, ni-  
mius cibus, nimia potio, quae ad corpus de-



bilitandum pertinent, pro remotis typhi causis habenda sunt. Qui tamen plerumque ad contagionem de qua non multum notum adhuc, supra repeti potest.

Quod ad studium ardens attinet, omnis animi in una aliqua re attentio paulo diutius defixa, genus nervosum perquam irritabile, id est, debile reddit. Quod eo interdum evasit, ut insaniam crearit.

Hac noxa corpus contabescit, laxatur, palefcit, infirmatur.

Ex animi adfectibus metus, ut inter omnes in confesso est, debilitantissima noxa est. Quam rem multorum de peste observationes confirmant. Quae utique neutiquam, quam in casu illust. Duncano relato, manifestior est. Is in praelectionibus de mendendi usu puerum memorat; qui natura timida pascentia pecora servabat, tonabat; quod tonitru adeo eum terruit, ut, domum cum cucurrisset, protinus in lectum se



conjecerit, citoque omnibus typhi symptomatis correptus, quarto decimo die perierit. Haec res nocentem metus corporibus nostris effectum pulcherrime declarat. Moeror cum pectus occupat fibrae relaxantur, motus humorum retardatur, valetudo et venustas aufugiunt, ventriculus et intestina debilitantur flatibus distenduntur, alta trahuntur suspiria, lumina subsidunt, genae pallescunt, corpusque mortui potius quam viventis speciem fert. Hinc pulsus debilis, appetitus deletus, debilitas, perspiratio cohibita, frigus extremitatum, tabes, polypos, omnesque morbi qui a solidis debilitatis proveniunt\*.

Magna humorum jactura perpetuo, sed, prae caeteris sanguinis, debilitat. Quam saepe animae defectiones consequuntur.

Sic totum corpus perturbatur, pulsus infirmantur, et omnia debilitatis nota signa

\* Princip. Med. Auct. F. Home, sect. 3tia.



comitantur. Hinc jure haec remotis causis adnumerantur.

Quod ad nimium victum attinet, modica potatio omnia corporum nostrorum roborat, et ad potentiores actiones concitat. Quae igitur pro grato tonico habenda est. Eadem ultra modum pro victa nimis incitationem adauget, usque adeo ut non robur ejus opus, sed debilitas insequatur. Eadem noxa, cum aliquis in conclavi calido potus nocturno caelo objicitur.

Hoc, amici mei in exemplo clarissime illustratum est. Thomas Davidson medicinae Edinburgi proximo vere studiosus, cum liquorum spirituosum liberrime, calente corpore perpotasset, dein nocturno se caelo aliquamdiu patifecisset; postero die symptomatis febribus correptus est, quae tandem formidabilis in primis typhi esse adparuerunt.

Eaeque cibus nimius, ac deficiens nobis nocet. Ille enim, fibras nimis distendo et



distrahendo, totius corporis tonum disperdit. Quod in gulosis memorabiliter accidit; qui nunquam tam agiles, quam alii qui recte sese curant, otioque dediti languescunt. Hinc aliis magis ad morbos opportuni sunt. Contra parcus cibus, pariter, ac, nimius noxae est. Quam rem typhus inter egenos, laboriosos, tantopere grassans confirmat.

Quod superiore ego aestate in septentrioli Hiberniae regione, ubi adeo typhus grassabatur, ut epidemicus nonnullis esse videretur, observavi. Sed vera sic communis morbi causa calamitas communis erat. Adeo enim anona cara erat, ut opificibus noctes diesque ad tantulum opsoniorum, quantum ad vitam modo servandam fatis esset, merendum, continuandus labor esset.

Hinc miserrimi labore, inedia vigilia confecti sunt necesse est.

Nimius concubitus, ut inter omnes constat summam adfert debilitatem. Multa ejus



noxae exempla ante oculos quotidie percipi-  
enda sunt. Hinc in mulieribus leucorrhæa.  
Quin et exempla non defunt, ubi recta mor-  
tem intulerit.\*

Contagio qualis cujus natura, sit, non-  
dum compertum est; nisi quod esse aliquid,  
quod contagio dicitur, tamen constat. Ea  
peritissimo philosopho celeb. Black caecum  
subile corpus, in genus nervosum potissi-  
mum agens, videtur†.

Quod a nonnullis scriptoribus Gallicis in-  
ficias itur, et ne pestis quidem ipsa contagi-  
osa esse, sed a metu proficisci, contenditur.

Quam opinionem plurimae res certae et  
exploratae refutant. Si non contagiosa  
pestis esset, quomodo in frequentissimo  
Moscoviae nosocomio anno Christ. nat.  
MDCCLXXI. nemo in morbum propter mag-  
nam medici Du Mertens diligentiam et pru-

\* Prael. Cull. Celeb. de medendi usu.

† Prael. ejus chem.



dentiam incidit? cum hoc tamen anno haud minus septem millia eodem morbo perierint. Contagio corpus esse aëre sed non latius diffusibile, et corporibus nostris contactu solo fere admoveere, videtur.

Praecipuis typhi causis remotis quanta cura potui expositis, ad chartae partem, quam diffidenter, inprimis adgredior, deinceps eundum est.

### C A U S A P R O X I M A.

Februm causa proxima haëtenus medicos fefellit. Et certe summi momenti quaestio est, quae corporis pars laboret, cujus labore omnia symptomata pendeant, statuere.

Vocabuli causa apud plerosque medicos perquam anceps usus est, a causa tantummodo id significari, quod aliquem edat effectum. Sed causa proxima ea esse debet, quae constanter et perpetuo suum effectum edat.



Et tam causa, quam effectus semper inter se proportionem respondere debet. Quae de causa in hac re conjecturae propositae sunt, eas omnes a rationibus vanis tractae et saepe perniciales hominibus fuisse, videntur. Quod cum ita sit; eas tantum, quae medicis maximae curae fuerunt, attingam.

Quarum prima materia morbifica est, quam sagax Sydenhamus secutus est; altera lentor est, illustri Boerhavia placuit; tertia spasmus est, quem laboriosus Hoffmannus probavit. De harum unaquaque eodem, quo relatae sunt, ordine fusius dicam. Nullus humorum adfectus, ex quo caetera omnia symptomata explicabilia sint, videtur.

Quod si nullam in sanguine materiam morificam esse, dicere audaciae esse quibusdam videretur. Verum concedatur. Quid tum? nihil quod curationem adjuvet, eo colligere possumus, quod ejus ignoramus naturam. Quodque mirandum imprimis



est, nemo ejus naturam explicare conatus est. Concedatur etiam argumentandi causa non solum materia esse, et per coctionem separata, et per aliquam humoris detractiorem corpore ejecta esse. Si hujusmodi tale quid fieret, solo naturae opere fieri posse credendum esset. Cathartica ad eam expellendam data sunt. Sed quomodo agere credenda erant? quisquamne sibi, cathartici peculiarem attractionem electivam esse, et ea sola materiam attrahere, et secum corpore abducere posse, persuadere posset.

Inter alia argumenta, quae ad hanc tuendam sententiam adhibita sunt; primumque e variolae rationis simplicitudine. Sed si id solidi quicquam haberet, febris semel tantum eidem incidere, neque varietatis in concoctione materiae et expulsione, quam in variola est, plus habere deberet.

Quin certum receptionis, certum con-



coctionis, certum denique rejectionis, et suum cuique, tempus esse oporteret.

Salutaris febrium finis ex quibusdam detractionibus interdum esse non inficiandus est. Sed hoc minime perpetuum. An paucae sanguinis unciae, totam materiam morbificam, si talis subesset, auferre existimandae sunt? quae tantilla tamen detractio saepe sola est, quae in febribus, et saepe non omnino accidit.

De lentore vix opus est verbis, quippe quem ingeniosissimus Heusonus adeo feliciter refutaverit. Ad eum tuendum argumenta e frigore febrili tracta sunt, scilicet, in eo occurrentibus, horrore, frigoris sensu, insensibilitate, et cutis pallore et similia quae sunt, sed, quomodo quaelibet causarum remotarum lentorem, sic explicatum, inducere posset mihi inexplicabile est. Quin et ipsa medendi ratio, ad eum tollendum usurpata, ejus opinionem subruit. Cum enim



omnis humorum detractio augere debeat, nullam igitur iis detractationibus cedere febrem oportet.

Tertia causae febrilis opinio spasmi est. Quem laboriosus Hoffmannus primus excogitavit, ingeniosus dein Cullenus noster auctam subtilius excoluit. Ea me, dum Culleni essem auditor, plurimum perturbavit, scilicet, auctoritatibus, non rebus veris subnixam existimans. Omnia symptomata, in historia supra contexta, aliquam actionum seu motuum animalium imminutionem subesse, indicant, eoque manifestam debilitate in causa esse, demonstrant. Sed nullum eorum symptomatum ejusmodi est, quod reliqua omnia febrium symptomata explicet.

Prima symptomatum, supra relatorum sunt, inertia, quasi lassitudo, imbecillitas.

Quae cum reliquis, quae dein subsequuntur, symptomatis nulla copula connexa et conjuncta videntur. Vel si quae copula, si



quis nexus unquam subest, is partium tantum non communis adfectus est; siquidem sine symptomatis febrilibus, saepe debilitas subest. Saepe etiam febrilia symptomata non pro debilitatis ratione sunt. Quae contra saepe maxima sunt, ubi minima debilitas, ut morbi initio, est, et minus gravia versus finem sunt, ubi maxima debilitas est. Debilitas texturae illius spasmodicae, ut creditur, in febrium initio causa interdum esse dicitur. Quod non ita esse multae res verae ostendunt. Exempli ergo, id quod spasmus esse dicitur, saepe sine debilitate, et haec sine illo, cernitur. Ob quam causam spasmus et debilitas non pro causa et effectu debent haberi. Quin et saepe ab ipso initio sudor, etiam toto corpore diffluens febrem comitatur. Quod in nullis febribus tam conspicuum, quam in typho est.

Quo in casu, quare quisquam spasmum subesse arbitretur, nullam causam videre, aut



fingere quidem, possum. Qui si subesse vel maxime concederetur, omnia inde explicabilia symptomata sunt?

Quam rem hoc lucidissime declarat, quod, ineunte interdum febre, nullus rigor, nullum frigus, horror nullus, percipi possunt. Hic igitur nullus spasmus est. Quo etiam subesse concessio; caetera febrilia symptomata non tamen sequuntur. Hinc, excessione frigida vehemente, febrem secuturam vehementem quoque pro ratione futuram, colligere nequimus. Denique interea nullus nexus necessarius intercedere adparet. Spasmodum vero cum febre nullo nexu conjungi hoc patet; quod ea constrictio quae pro spasmu habetur, a multis rebus, quas nulla febris sequitur, effici potest. Talis frigidus tempestatibus constrictio cutis, talis in lavatione frigida, ubi perspiratio imminuitur, incidit.

Eadem gratum tantummodo toto corpore



calorem, creat, et non ita sanguinem, ut in febribus, pulsuum percitat. Porro spasmus per totam quamlibet febrem, toto ejus cursu, ab initio ad finem, perdurasse, probare nequit.

Aut si illorum morborum causa esse vel maxime concederetur, quomodo diversorum et prorsus contrariorum, quales Erysipelas, cynanche tonsillaris causa esse posset? Nam hoc est unam causam contendere non solum diversos sed prorsus contrarios effectus; et diversas etiam prorsus contrarias causas eundem effectum, creare. Quod certissimo et simplicissimo humanæ scientiæ principio adversa fronte repugnat.\*

Postremo per naturam aliqua in nostris corporibus mutatio, quæ omnia memorabiliter infirmet, fieri videtur. Hinc cordis et arteriarum, pro debilitatis augmine, actio adaugetur. Eaque mutatio peculiari aliquo

\* G. Hog. Toulmin, disp. inaug. de cyn. tonsillari Edin. 1779.



modo, ita ut calorem et partium constrictionem efficiat, fieri judicanda, sed, quae hujus spasmī sit natura, quove modo effectus, qui ei a nonnullis imputantur, procreet, haud facile animo conceptu est; eoque minus quod pro causa et effectū considerari nequeant.

Ex supra traditis observationibus, nulla relatorum symptomatum febrilium pro causa proxima habere concedendum videtur; ut pote, quorum cum rite et attente considerantur, nulla re vera causae et effectus copulam habere videantur, atque etiam in ipsis febribus, de quibus tractamus multo minor ejus, quod spasmus dicitur, quam in ullo alio morbo species sit, neque vera febris unquam a synocha incipere danda sit.

Hinc compluribus hujus causae contemplationibus adlatis; ad Pringelii equitis, Lindii, Cleghornii medicorum opiniones, et, graviolem omnibus auctoritatem ducor, scilicet, nullam causam proximam recipiendam, sed



ad sola laedentia et juvantia, ad idoneam curationis rationem statuendam, respiciendum; unde, ex omnibus universae medicinae annalibus, sola de proxima causa circumspiciendi ratio trahenda est.

### SYMPTOMATUM QUORUNDAM EXPLANATIO.

*Dolor capitis*, vel ad sanguinis in cerebro abundantiam, vel penuriam, referenda est; quorum in illo casu distentio nimia, in hoc eadem deficiens, dolorem gignit.

Utrumque casum partium convulsio et delirium comitatur, in illo ventriculi adfectus plerumque deest, in hoc is a capitis adfectu inseparabilis est.

*Pulsuum crebitas, mollities, et debilitas*, nimiae cordis et arteriarum debilitati, humores suos per universum ad extrema loca percitare nequentium, tribuenda est, sanguinis acredo, cui hic adfectus olim tributus est, in



aeterno tumulo, nunquam in auras vitae superas emergenda sepulta est.

Alvi durities communi totius corporis debilitati, cujus in primis fibrae intestinorum musculares sunt participes, imputanda.

*Corporis calor*, in omni nimii caloris statu, a cohibita perspiratione pendet; perspiratio autem in phlogisticis morbis diathesi phlogistica, in debilitatis malis contraria, in illis caeco vapore perspirabili, viam per densatas vasculorum diametros non inveniēte, in his vi cordis et arteriarum a tergo cessante, cohibetur. Utrovismodo cohibita perspiratio calorem corporis, eum una cum humore perspirabili cohibendo, et partem foraminibus dissipari prohibendo cumulat. Ut imminuta quomodocunque perspiratio calorem auget, ita quomodocunque adaucta, etiam ad morbi modum, imminuit. Hoc in omni febre ubi summum corpus refrigeratur, et non solum naturalis perspirationis materia, sed crassima, imo ipse ruber sanguis, undique



diffluit, cernendum est. Ubi talis extrinsecus deficit excretio, etiam in articulo mortis corpus calefcit. Calor non semper tactu dijudicandus est, qui, revera auctus ubi est, saepe imminutus, et contra, videbitur, soli thermometro, ac re ei quidem, nisi diutius in os insinuato aut alterutra axilla recondita fidendum.

*Cutis eo aret*, quod vasculorum in summo corpore exhalatorum actio supprimitur; id ita esse, et omnem perspirationem deesse, hoc patet, quod linteo vestis, diu quamvis gesta, non inquinatur. Haec optimam hujus rei explicationem mihi videtur.

Causis sic, ut potui, explicatis; deinceps prima symptomata, quae vel laetum, vel tristem eventum denunciant, exponenda sunt.

### P R O G N O S I S.

Saepe de morborum eventu judicare difficillimum, maximeque in typho, judicatu est, in quo praeter omnem opinionem, post



partium convulsiones et tendinum subsultus, saepe salus reducitur; licet longe saepius morti praecurrant. Hujus duo exempla superiore aetate animadverti.

Quorum in altero aegrotans dextro latere convellebatur. Quodque magis mirum est, pone aegrotantem assidens hanc convulsione futuram per tremorem quaendam a vertice incipientem, deinde deorsum descendentem, praedicere poterat.

Qui tamen casus, ut modo dictum est, in salutem reductam definit.

Ex quo et similibus felicibus casibus, pro optimo instituto habendum, nec, ut vulgo dici solet, quamdiu vita subest desperandum cui instituto idoneum curationis genus etiam majorem fidem consiliat.

Oris, linguae, cutisque, humiditas, aliquantum cibi desiderium, copiosumque sedimentum urina dejiciens, bonum finem promittunt. Eodem pulsum major constantia,



firmitas, minor frequentia, et naturalis reficientisque somni reditus, pertinent. Auctius cibi desiderium, quod, alvi dejectio naturalis subsequens, fiduciam eventus faciunt. Certi cujusdam cibi, si hic bonus, nutriens et digestu facilis est, desiderio indulgendum, neque ejusdem fastidio, alius cujusvis, qui bonus quoque sit, cupitati, resistendum, sed omnis cibi materia prava, quae saepe sat appetiter, semper deneganda.

Haec sunt praecipua felicitis finis praefagia.  
Contra.

Magna vigilia, constans delirium, pulsus debiles, graciles, celeresque, partium convulsionες crebrae, deglutandi difficultas, imminutus prius, dein deletus visus, vox parum significans, artuum extremorum frigus, urina et stercus nescio homine delabentia, lineamenta vultus mutata, jacendi subter tergum, et in humiliorem quamque lecti partem delabendi habitus, floccorum carpsio, sudor fri-



gidus, spissus, alvus non astricta, absque furendi cupiditas, illaetabilem eventum minus quam vulgo creditum est, significant; siquidem etiam his, per idoneam curandi rationem, depulsis, salus redacta est.

In communi medendi via febris xiv. xv. xvi. diei superstitis symptomata plerumque mitescunt. Post xix. vero vel xx. diem nunquam quenquam perire se vidisse, in praelectionibus Duncanus testatur. Ubi vero robori toto morbi cursu consultum, nec auxiliis inducta, debilitas, est, haec morbo nata, saepe tanta subest, ut etiam in xix. diei ideo relictus aeger, quod omnia febrilia symptomata sublata sunt, pulsus ad naturalem numerum, calor ad solitam secundae valetudini temperiem redactus; cibi desiderium conciliatum; repente febre, laborans ea extinctus sit. Cujusmodi de casibus animadvertendum est, si contraria et debilitatrice curatione curati essent, ante xiv. diem incassum mortem



fuisse, quod ea serius in contraria curatione incidit, id auxiliis, aliquid, sed nondum naturalis, roboris facientibus, tribuendum esse.

Quod ad dies judicatorios attinet; ii primis medicinae annalibus coevi sunt, ab imparium, quam Pythagoras et ejus secutores numerorum potentia tracti, primum ab Hippocrate ad medicinae rationes deducti. Ab hoc initio ab aliis receptis defensque, ab aliis abnegati, repudique plus minusve tamen, persisterunt novissimi, quibus eos tueri placuit, scriptores nuper Du Haenius, nunc illustris noster Cullenus, sunt.

Quam tot et tantorum virorum tantam contentionem, non meum est, qui in medicina adhuc tyro sum, decidere, neque quae omnia artis secula adeo acriter artis professores exercuerunt, unum lites componere. Sed, ut haud levem observationum vim haud futilem auctoritatem, sequar; si febres a debilitantibus rebus pendent, a ro-



borantibus tolluntur, si curatione divini senis, qui, naturae fidens, vix quicquam attentavit, si Stahlianæ, ex hac origine tracta, cujus auctores ex toto quiescere se professi sunt, si alexipharmica, quam secuti calefacientia et partes, stimulantia adhibuerunt, si humorali, cui addictis viris sanguinem et alios humores detrahere, inediam percipere placuit, si spasmodica, cujus cultores humorem curationem, verbis tenus tantum differentes, tractaverunt, tractantque, cui tantummodo nauseam adjecerunt, et hanc etiam ab humoralium secundo principe tractam, si his, inquam omnibus variantibus curandi rationibus, judicatorii motus, ut eos paulisper esse concedatur, pariter variare, et si in omnes partes variant, ubi est, quo recessit, eorum, quæ tam acri concertatione alias defenditur, alias rejicitur, contentio? nonne vis medicatrix, judicatorios dies sustentans, aut constans, aut nulla esse



fatenda est? Certe alius mortuum tenor, ubi nihil agitur, alius ubi corpus debilitatur, alius ubi roboratur, expectandus esse videretur. Denique si verum, corpora animantium nihil per se esse, sed ab externis rebus perpetuo pendere; quis locus, aut dies judicatorios, aut medicatricem vim recipiendi relinquitur? sed ego tanti momenti rem, et artis fundamenta tam alte respiciens, in medio aliis dijudicandam, relinquo, pudore qui dicet adolescentem scriptorem servato.

## C U R A T I O.

Neque sine controversia, ut modo monstravi, curatio est; quam alii totam naturae, relinquendam, alii arte, alia alii curandam contenderunt. Qui illud tuentur, conamen naturae ad morbi causam ejiciendam existimaverunt. Eamque causam noxiam aliam alii judicaverunt. Sed, ut



multae, quae de hac invaluerunt, opiniones omittantur; ut omnes prorsus ab omni fere nunc medicinae parte repudiae; febres sibi relictas exitio plerumque fore, eo artis auxilio opus esse, fatendum est.

## R A T I O M E D E N D I.

Una medendi ratio est; nempe, debilitatem tollere.

Sub febris initium inertia, quasi lassitudo, frigoris aliquis sensus, aliquis horror, cum caloris aliquo alternans, incidunt. Sed neque ipsi neque alii, quam gravis morbus adventet, intelligunt. Eoque prudentis medici, si forte vocetur, est, principiis, ut ait poeta, obstare; ac calore grato, corporis et animi quiete, aegrotantem firmare; quicquid corpus delassat, quicquid mentem nimis intendit, eoque exercitationem, laborem, studia et solitas occupationes, vetare; domi illum continere, subinde super lectum



quiescere jubere, subinde vini cyatho et jussulis lautis recreare; phlogisticum habitum, et febris inflammatorii periculum non metuere, ac propterea sanguinis detractionem, quae curatio eum magno miserorum laborantium damno nimium supraque, omnem modum invaluit, cavere. Cujus in hac febre perniciosus effectus jam omnibus, qui paulo prudentiores sint, innotuit. Ejusdem ego superiore aestate miserandum exemplum vidi. Junior medicus vocatus in tali febre, de quali hic agitur, sanguinem detrahi jussit, crustam coreaceam deprehendisse se putabat; ad detractionem igitur iterum rediit iterumque.

Amicis febricitantis scalpelli usum ultra modum tendi suspicantibus, et quare in eo tantopere perseveraret, rogantibus, se sanguinis detractione non destitutum, donec bonum sanguinem reperisset, respondit.

Quam curationem pulsuum languor, vi-



res fractae, cum omnibus summae debilitatis notis, continuo sunt secuta. Prudentior medicus vocatus istius curationis tristem eventum praevidit. Ad quem tamen, quantum rei natura fineret, avertendum, cardiacis, et tonicis auxiliis, sed frustra usus est.

Elanguens aliquamdiu miser animam demum exhalavit, cum manifeste imbecillos hic morbus corripiat, ideo Celsi dictum recordandum. “ Si juvenis imbecillus est, male sanguis mittitur. At firmus et robustus si sic sic tuto curatur.” Nunc cibo quamvalentissimo, et potione vinosa larga sustentandus aeger. Jacobeus pulvis et Tartarus emeticus plurimum nuper soliti sunt. Quorum hic ad nauseam movendam usurpatur. Nausea ad spasmus in summo corpore solvendum pertinere ab aliis creditur, ab aliis plenus vomitus, ad ventriculum detergendum, et fordes ejiciendas commendatus est. sed neutra sententia vero et experientiae con-



gruere videtur. Nam, five nausea, five vomitus adhibetur; infelix morbi eventus nihil boni, hanc curationis rationem adferre, demonstravit, et debilitas, quae vera mali causa est, a rebus tam debilitantibus augeatur, ni fallor, et ut multa nuper observata declarant, necesse esse, videtur. Sed ego nihil ex proprio judicio concludo. Sed si vel maxime vomendum esset, vomitus per tartarum emeticum, qui violentissimus esse solet, ei quem ipecacuanha movet, certo posthabendus videtur. Ad canalem intestinalem colluvie solvendum, alvi purgatio per lene medicamentum, qualis cremor tartari est, commendatur. De quo curationis genere, si omnino, quod mihi, ob causam saepe relatam, scilicet, ne hac quoque purgatione debilitas crescat, purgandum sit, certe quominus alvus in hoc languore, quo leniore medicamento, purgetur, eo melius optimam nullam purgationem, judicarem. Quod



auctoritate, non propria opinione, adductus dico.

Crescente morbo vini, supra commendati, plus dandum; eoque magis si pulsum imbecillitas, multum jam adaucta est, si sudor jam colliguens supervenit. E vini generibus optima esse videntur, Oportoense vel Madeirense aut Caneirense. Hae parum mero adfuetis paululum diluta, adfuetis vinum purum dandum. Juscula, supra relata, continuanda, ut bubulum, pullinum, nullo morbi tempore omittenda. Vinum parcius primum, saepius, dein largius ingerendum. Adultis, et ei consuetis singuli uteri singulis diebus modica dosis sunt, melior bini vel etiam quandoque amplius. Sic datum vinum delirium pariter et pervicacem vigiliam tollit, somnum recreantem conciliat. Sed optima mensurae regula est symptomatum lenimen. Exempli gratia, si pulsus pleniores, validiores, tardioresque fiunt, et quo-



dammodo ad naturalem modum adpropinquant, si calor imminuitur, si delirium decedit, si cutis mollescit; scire licet non nimium remedii datum. Si contra; sistendum, et symptomatum prius, quam amplius detur, primus reditus expectandus.

Utrum potionis spirituosae periculum faciendum sit, addubitatum est; sed eam quoque tam meracam quam dilutam prosperrime datam certior factus sum.

Cortex Peruvianus, diu postquam reperi- tus esse medicina est, febribus pure intermittentibus contentus est; dein post medium hoc seculum ad remittentes extentus; tum nuper et maxime a Millero medico Londinensi ad maxime continuas typhi formas adhibitus. Sed nulli medicamento medici confidentius diutiusve, quam ei acquieverunt. Saepe non modo intermittentibus et remittentibus, quae in calidioribus locis dominantur, sed etiam in mitissimis Britanniae, fru-



stra spem utentis habet; id quod ingeniosus vir Wainman in agro Lincolnensi medicus invenit. Is, cum ibi in palustribus agri partibus medicinam facere coepisset, et cortice nihil agente, plurimos quotidie perire animadverteret; curationis ratione protinus commutata, ejus in locum opium et vinum suffecit; neque posthac, licet opera ejus plurimum adhiberetur, unam vitam amisit. Ex hoc igitur et similibus quibusdam factis, recentia de corticis in typhi curatione usu experimenta errore implicantur; et quae virtus cortici, tributa est, ea vino, quod semper cum eo conjungitur, et aliis rebus forsitan praetervisis, tribuenda erat. Mihi saltem convalescenti e febribus statui, et morbis longis, in modica debilitate positus, quam febrium saevienti impetui, convenientior cortex Peruvianus videtur. Sed et hanc rem prudentiorum in arte virorum judicio, et observa-



tionum copiae, quam inopiae meae, subjiciendam existimo.

Ut vini roborans potestas tantopere a prudentissimis medicis laudatur; ita opium nuper summis a quibusdam effertur laudibus. Cujus in omnibus debilitatis morbis, maximeque in febribus usum quotidie magis magisque invalescere pro certo novi, neque, ut opinor, quisquam ignorat. Opium omni ex parte, tanquam vinum, sed multo felicius, efficacius multo agere accepi. Cujus rei fides id in curationibus expertis per me maneat.

In hoc morbo acida eo consilio praecipiuntur, ut humorum putredinem qui in iis inesse existimatur; corrigant. Verum ut ea putredo, quae minime mihi verisimilis est, revera subesse concedatur, an pauca cujusvis acidi, nedum, quod omnium maxime imbecillum est, aceti sic valere, ut universorum humorum putredinem adimant,



idque tam brevi tempore, quam haec febris  
saepe solvitur, existimanda sunt?

Cum sitis in hoc morbo, quoties accidit,  
e debilitate, morbi causa pendeat; et omnis  
aquosa potio ad talem sitim non extinguen-  
dam, sed augendam, pertineat, id quod  
multae observationes, experimenta multa  
nuper confirmarunt; igitur, si roborante  
curandi via incidatur, raro hujusmodi poti-  
one opus erit; et, quando erit, vinum a-  
quae perexiguo aliquo addito, vel idem lac-  
te in serum versum plerumque fatis erit.

Cum relatis auxiliis impurus aer vitan-  
dus, cubiculum perflandus, aulaea lecti  
adaperienda, frigoris aliquantum, ad ae-  
stum, madorem vel sudorem macerantem  
prohibendum, admittendum. Sed frigidi  
aeris flatus ab aegrotante avertendus. Ex  
hac administratione saepe summus fructus  
percipitur; quo fructu, ne catarrhali, scili-



cet, adfectu aeger corripiatur, non est cavendum. Ubi enim sic roborantibus auxiliis, aegrotanti consulitur, aequè is tutus est, ac vino repletus et frigori objectus, esse solet.

Vesicatoriorum in hoc morbo perpetuus fere omni tempore usus fuit. Quae, quoniam neque in phlogisticis morbis stimulante opere non obsunt, id quod a prudentissimis quoque medicis conceditur; igitur in debilitatis morbis eodem prodesse, credenda sunt.

Quantum vero humorem serosum auferant, omnium humores detrahentium more, noceant necesse est. Et, si quando profuisse dicuntur, quantum ei dicto fides habenda est, quoniam nunquam solis iis curatio a quoquam sano commissa est, igitur id aliis potestatibus animadversis, aut non animadversis, tribuendum videtur. Sed, quamquam fuit haud obscurus medicus dives, qui filium quoque medicum, si vesicatorio un-



quam uno uteretur, deheretandum testamenti tabulis, perscripsit; cum tamen ab omnibus fere aliis omni tempore usurpata sint; non id mihi arrogabo, ut perpetuae prope auctoritati repugnem, et eorum usum damnem, sed solita modestiae ratione retenta, in medio rem relinquam.

Sinapismi, pedibus admoti, quandoque profuisse dicuntur; sed eodem, qua vesicatoria, auctoritatis pondere. Contra eorum, ad summam, effectus quoniam miseriam aegrotantis augere, igitur eos in hoc morbo artis usu ejicere minime dubitem.

Duobus proxime relatis remediis fomenta cum aceto et aqua calida commendata sunt, et amovere delirium dicta. Quibus utique inter tot potentissima et universum corpus tangentia remedia, confidere, vix viro prudenti esse videtur.

Frigus quoque, quod in calidis regionibus medici plurimum profuisse judicaverunt,



locis frigidis, et etiam frigidissimo anni tempore, in usum est deductum. Itaque, intentissimo gelu, et mediis nivibus, in typhi curatione, cubiculi ostia, fenestras aperuisse, languenti in lecto, praeter tenuem linteam, removisse, a medicis septentrionalibus, eundem, scilicet, qui in variola incidit, fructum expectantibus, et putredinem sic prohiberi credentibus nuper consuetissimum fuit. Qui medendi usus falsa prorsus ratione receptus est. Nam, primum in calidis vel potius ardentibus plagis nullus ad frigus aditus est. Et, quicquid credito frigore proficitur, id nihil aliud est quam nimii, et debilitantis, caloris imminutio.

Dein frigus hic semper, sua natura, recta debilitatrix potestas est ut debilitatem, in qua morbus posita est, augeat necesse est. Tum humorum putredo, ad quam tollendam admovetur, nulla est. Ut igitur immodicus calor, qui debilitando morbi vim



adauget, ita verum frigus, et ob eandem causam fugiendum. Quod si magnum frigus externum, et frigidissima potio profuit, ut ipse novi; id ideo factum est, quod affectus phlogisticus fuit. Contra quod affectuum genus non in variola sola, sed in omni alio vere phlogistico morbo, frigus vix minus potens, quam in variola, et ob eandem ipsam causam, nempe, quia debilitando mala, in nimio robore posita, adauget, auxilium est.

Cum omnibus relatis auxiliis, cibus carneus, qui ab initio in forma fluente praeceptus est, simul ac vires patiuntur, firmus, parcus prius, sed saepius, dein largius et majoribus intervallis, dandus.

Incessit fere omnium medicorum, omni tempore animos opinio, adperiendam in hoc morbo alvum.

Quod utique non faciendum quidam nunc ostendunt; primum, quod quicquid humores



aufert, et in primis alvi purgatio omnis summopere auget morbi debilitatem: nam si in phlogisticorum morborum curatione, proximum sanguinis detractiōni alvi purgatio, est, quem effectum, solum humorem serosum auferendo, et sic debilitando, edit; ob eandem rationem, scilicet, quod humores aufert, quod debilitat, in primis in typho noceat necesse est: dein eo minus aperto alvo opus est, quod firmi nihil, quod ad stercus faciendum eat, nisi peracta mali acme, acceptum est; quo tempore sumptum cibum naturalis dejectio sua sponte sequitur: nihilominus multis in casibus cavendum, ne materia intestinorum nimis retenta, putrida sit, et absorbetur hinc clysmatibus lenissimis per totum morbi cursum opus est.

Tum quod hic natura sua morbus ad malas dejectiones, quae diarrhaea colliquens nuncupatur, tendit; ad quam prohibendam saepe validissima auxilia vix sufficiunt. De-



nique quod ante acmen praeteritam si auxiliis relatis, maximeque vino et opio, vires sustentatae sunt, potius bonum signum clausa alvus, malum semper aperta. Postremo, ante causae vim sublatam, id est, ante ut modo dictum, crisem absolutam, larga alvi dejectio, symptomatum redintegrationem efficit.

Has observationes a peritissimis in arte viris accepi, non rationibus inanibus sed solidissimis rebus nixas. Quae quantum valeant, alii me experientiores, eoque prudentiores, judicent. Ob quas causas adeo non officiose alvus ante tempus relatum adperiendus esse videtur, ut e contrario primo cuique motui, opio dato, obviam sit eundem.

Saepe sublatum hunc morbum tam alia mala, quam hydrops, aut crurum oedema, consequuntur. Quae utique potius a curatione mala, nempe, nimis attenuante, quam morbi natura effici videntur. Ad eadem igitur prohibenda vini et aliorum validorum



auxiliorum, ne in convalendi flatu, intermit-  
tenda, paulatimque ab iis ad victum natu-  
turalem, gestationem, prius dein exercitatio-  
nem, maxime sub puro aere transeundum.

Non solum nunc, sed toto morbi tempore  
munditiis consulendum est. Indusium, et  
linthea lecti vestis, saepius maximeque ubi fu-  
datur, mundis mutanda, nec frigore, ac pro-  
inde ne catarrho praehendantur aegrotans,  
metuendum; e contrario hoc ipsum malum  
hac administratione prohiberi pro certo est  
habendum.

Postremo animo consulendum; eoque,  
una cum gestatione et exercitatione relatis,  
hilaritati studendum, saepe cum gratis sode-  
libus, et convivis versandum, omnes animi  
adfectus turbantes, omnis mentis usus ni-  
mius, cavendi, mentis otio, cum grata  
occupatione conjuncto, animi tranquillitati  
providendum.



Peraçto, quantum pro rerum copiis licuit, hoc opusculo, ut Alexander plus Aristoteli ob disciplinam, quam Philippo ob vitam, acceptam debere se fassus est; ita ego et ob similem causam, reliquis meis in alma Academia Edinenfi praeceptoribus, maximeque illustri Monroio, item quibus prima institutionis academicae meae cura commissa est, professoribus medicis Academiae Glasguensis, ob praecepta multa utilia, quae ex eorum praelectionibus ingeniosis acceperim summas, quas habeo, et semper habiturus sum, gratias gaudens ago.

T A N D E M.



Perago, quantum pro rerum copia licuit,  
 hoc opusculo, ut Alexander plus Aristoteli  
 ob disciplinam, quam Philippo ob vicem, ac-  
 ceptam debere se sciret, ita ego et ob il-  
 lum, cuius, reliqua mea in suis Aca-  
 demis, et in his, quae quibus, maximeque  
 illis, Montis, item quibus prius in illis  
 tione, academice, mea cura commissa est,  
 in hoc opusculo, in hac Academia, et in hac  
 ob praecipua, in illis, quae ex eorum pra-  
 cticis, in hac Academia, acceptum, in hac  
 qua habeo, et semper habui, in hac  
 illis, quibus, in hac Academia, acceptum, in hac



